



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Significationibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

dicitur. 1. Pet. 3. Baptisma, quod est non sordium corporis depositio, sed stipulatio bonæ conscientie erga Deum, per resurrectionem Christi. Intelligit enim mutuam obligationem, & mutuum pactum. Deus proficitur se nos recipere, id conscientia credens amplectitur, & hac fide iam vere agnoscit Deum & inuocat. Hæc recta de Deo sententia, vocatur bona conscientia, videlicet recte agnoscere Deum, & eum inuocans. Additur autem, Per resurrectionem Christi. Docetur Baptisma efficacem esse propter regnantem Christum, & inde agnoscere, donatam esse hanc reconciliationem propter Christum.

DE SIGNIFICATIONIBVS.

Dixi supra, in Sacramentis multas esse significationes, sed præcipuam, videlicet gratiæ, anteferendam esse ceteris. Hæc etiam ritus pingit, quia ablutio significat abluere peccata propositam, & nobis applicari beneficium passionis Christi, cum mergitur in aquam, velut in mortem Christi. Postea non est absurdum, adhibere alias significationes. Sicut iter Israëlitarum per mare rubrum, hæc imago afflictionum Ecclesiæ & liberationis: itamersio in Baptisma, imago est afflictionum & liberationis. Sed altera significatio anteferenda est, quæ nos de promissione & de gratia admonet, & requirit fidem. Vt autem satis fuit semel circumcidi, cum esset mandatum circumcisio: ita semel tantum fiet baptismus, ut hæc grauisissima res ostendit. Peccatum est, abuti nomine Dei, & inuocationem veram improbare: Qui autem rebaptizant, improbant priorem baptismum, iudicant inane & inutile fuisse. Atque ita improbant veram reconciliationem Dei, factam de hoc baptizato. Ideo non est reprobanda hæc ceremonia. Ceterum de Anabaptistis plura mox dicemus, qui multos perniciosos errores suo anabaptismo admiscunt. Scimus autem pij, semel factum baptismum, manere perpetuum testimonium & fœdus. Dauidi post lapsum non erat opus noua circumcisio: ita illa prior circumcisio, de vtraque re admonet eum, videlicet hanc naturam circumcidi, quia sub peccato est, & redeundum esse ad promissionem reconciliationis, illis ipsis qui lapsi essent. Sic autem iam sentiant, non iterent ceremoniam, sed admoniti fœdere quæ facta est, in quo fit mentio filij, quæ est testimonium remissionis peccatorum, redeant ad propositam reconciliationem. Ita baptismus magnam doctrinam & consolationem lapsis affert, quia ipsi membra filij admonet nos de poenitentia, & de remissione peccatorum, ut statim redeantes iterum fieri membra populi Dei.